Quelle: https://manuscripta.at/?ID=35036
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar/Seminario Maggiore



tuorum tecum. Cuncta animancia que sunt apud te ex omni car-
ne tam in uolucribus quam in bestijs. et uniuersis reptilibus
que reptant super terram educ tecum. et ingrediminj super
terram. Crescite et multiplicaminj super eam. Egressus est ergo
noe et filij eius. uxor illius. et uxores filiorum eius cum eo. Sed et
omnia animancia iumenta. et reptilia. que reptant super ter-
ram secundum genus suum. de archa egressa sunt. Edificauit
autem noe altare domino. et tollens de cunctis pecoribus et
uolucribus mundis optulit domino holocausta super altare. O-
doratus quoque est dominus odorem suauitatis. t. iii.

In diebus illis. Temptauit deus abraham. et dixit ad eum.
Abraham. Et ille respondit. Assum. Ait illi. Tolle filium
tuum unigenitum quem diligis ysaac. et uade in terram uisionis.
atque offer eum ibi holocaustum super unum monticum. quem mo-
strauero tibi. Igitur abraham consurgens strauit asinum suum.
ducens secum duos iuuenes. et ysaac filium suum. Cumque
concidisset ligna in holocaustum. abijt ad locum quem pre-
ceperat ei deus. Die autem tercio eleuatis oculis uidit locum
procul. dixit quoque ad pueros suos. Expectate hic cum asino. e-
go et puer illuc usque properantes. postquam adorauerimus. reuerte-
mur ad uos. Tulit quoque ligna holocausti. et imposuit su-
per ysaac filium suum. ipse uero portabat in manibus ignem. et
gladium. Cumque duo pergerent simul. dicit ysaac pater suo.
Pater mi. At ille respondit. Quid uis fili. Ecce inquit ignis
et ligna. ubi est uictima holocausti. Dixit abraham.
Deus prouidebit sibi uictimam holocausti fili mi. Pergebant ergo pa-
riter. uenerunt quoque ad locum quem ostenderat ei deus. In quo edifi-
cauit altare. et desuper ligna composuit. Cumque colligasset